



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XXXII. De Sacrilegio ex violata Immunitate loci Sacri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

23. *Quer.* An detur levitas materiæ, & sic excusatio à culpa gravi in materia pollutionis Ecclesiæ? *Resp.* Affirmativè, ut ostendit Passerin. d. disp. 10. cap. 3. 4. & 5.

24. *Quer.* An possit celebrari in Ecclesia polluta de licentia Episcopi? *Resp.* Affirmativè in casu necessitatis. S. Thom. 3. par. q. 83. art. 3. ad secundum. Thesaur. de Pœnis par. 2. Verb. Sacrilegium cap. 5.

25. *Quer.* An sint exhumanda corpora fidelium sepulta in Ecclesia, vel Cœmeterio polluto? *Resp.* Negativè, nisi essent excommunicati, vel personaliter interdicti. Thesaur. d. Verb. Sacrilegium. Vers. Illud adverte.

26. *Quer.* An polluta Ecclesia, si in ea aliquis Sacerdos bona fide celebraverit, hoc ipso censetur sufficienter reconciliata? *Resp.* Negativè, quia reconciliatio pendet ex certa verborum forma, & solemnitate ab Ecclesia instituta. Laymann. lib. 5. de Sacrif. Missæ cap. 5. num. 13. Thesaur. de Pœnis d. p. 2. Verb. Sacrilegium cap. 5. Vers. Adverte etiam, ubi contrarium sentientes reprobant; & ait, non valere argumentum de Vestibus, vel Calice nondum consecratis, quæ consecrantur ex sola Missæ celebratione facta cum ipsis, ut tenet Diana par. 1. tract. 14. resol. 69. Excipitur tamen, si Papa unico Verbo declararet Ecclesiam reconciliatam, quia tunc non esset opus alia reconciliatione. Thesaur. d. cap. 5. in fine.

27. *Quer.* Quis possit Ecclesias reconciliare à pollutione? *Resp.* Si Ecclesia erat tantum benedicta, potest eam reconciliari simplex Sacerdos de licentia Episcopi. cap. Si Ecclesia, ubi Glossa verb. Lavetur. de Consecrat. Eccles. Si verò Ecclesia erat consecrata, solus Episcopus eam reconciliare valet de Jure. cap. Aqua, & cap. Proposuisti. De Consec. Eccl. Verum ex Privilegio Sedis Apostolicæ Superiores Regulares possunt suas Ecclesias reconciliare, si Episcopus abesset, & diutaret ultra duas dietas. Novarius in Summa Bullar. Comment. 101. per totum; ubi num. 7. advertit, Superiores Cassinenses reconciliare suas Ecclesias etiam Episcopo non absente, quod notat etiam Grassi. Consil. 2. num. 18. de Consecrat. Eccles.

28. *Quer.* Quot milliaria contineat una Dieta? *Resp.* Eam continere viginti milliaria. Gloss. in cap. Nonnulli. Verb. duas Dietas. de Rescript. Mascard. concl. 1056. num. 6. Novar. d. comment. 101. num. 9.

CAPUT XXXII.

De Sacrilegio ex violata Immunitate loci Sacri.

1. *Quer.* Quid sit Immunitas loci Sacri? *Resp.* Esse Privilegium Ecclesiis, & locis sacris concessum, ut Rei ad ea confugientes, per vim extrahi non possint. cap. Nullus. 17. q. 4. cap. Ecclesia. cap. Inter alia. De Immunit. Eccles. & novissimè celebris Constitutio Gregorii Papæ Decimi quarti. Incipien. Cum alias nonnulli. Quam explicat Novar. in Summa Bullar. par. 2. Comment. 80. Farinac. Oper. Crimin. tom. 10. in fine, & Diana Coordinat. tom. 9. tract. 1.

2. *Quer.* Quæ sint loca Sacra gaudentia immunitate prædicta? *Resp.* Esse sequentia: Primò, Ecclesias, etiam pollutas, vel interdictas, vel nondum perfectè constructas, aut dirutas cum spe reedificationis; etiam si in eas non fervetur Eucharistia. Coton. in Summa, Diana Verb. Immunitas Ecclesiarum quoad loca num. 2. ubi Textus; & DD. Secundo, Oratoria Confraternitatum, auctoritate Episcopi erecta. Coton. ibid. num. 3. Tertio, Cœmeteria, etiam ab Ecclesiis separata. Quarto, Hospitalia publica, Episcopi auctoritate erecta. Quintò, Monasteria Religiosorum, quoad totam eorum Clausuram; nec non eorundem Grancias, seu hospitia, vel Monasteriorum membra. Sextò, Domus Clericorum in communi viventium, quales sunt domus Patrum Oratorii, & Seminarii. Septimò, domus Puellarum, & Orphanorum auctoritate Episcopi fundatas. Octavò, Palatia Episcoporum, ubique sita, nec non domus Canonicorum ab Ecclesia ultra 40. passus non distantes. Item Palatia Episcoporum Titularium, & domus, in quibus Episcopi moram trahunt, seu hospitantur tempore Visitationis. Nonò, Palatia, seu domus Cardinalium extra Urbem Romæ. Decimò, Domus Parochorum, & Canonicorum, quæ sunt de Jure Ecclesiæ eorundem, quamvis essent locatae laicis. Chartar. decis. Criminal. 46. num. 20. Undecimò, Campanile, quamvis sit ab Ecclesia sejunctum. Duodecimò, Omnis locus, in quo præsens sit Corpus Christi, qualis est camera ægroti, dum ei communio delata est, vel persona Sacerdotis deferens Sacram Eucharistiam, ad quam Reus confugiens gaudet immunitate; imò satis est, si se immisceat cum gente associante Sanctissimum Sacramentum; idemque in processionibus Sacrarum Reliquiarum, vel Imaginum. Decimo tertio, Si Reus confugiat ad personam Cardinalis inde transeuntis. Et Decimo quarto, Si accedat Reus ad portantes aram portatilem, vulgò Pietra Sacra. De quibus omnibus locis Jura, & Doctores tractantes allegant, & sequitur Summa Diana in dicto Verb. Immunitas Ecclesiarum quo ad loca à num. 2. usque ad num. 10.

3. *Quer.* An sit necesse, ut Reus gaudeat immunitate, ut introeat locum sacrum? *Resp.* Negativè, quia sufficit, quod tangat muros extrinsecus, aut si ostio clauso adhareat, vel tectum Ecclesiæ ascendat. Sperell. decis. 60. num. 9. Gambacurta lib. 4. cap. 1. num. 9. Imò sufficit appropinquare Ecclesiæ Matrici per externum ambitum ad passus quadraginta; & aliis Ecclesiis ad passus triginta. Cap. Sicut antiquitus. Cap. Desinivit. Cap. Quisquis. 17. q. 4. tam in Civitate, quam extra, dummodo spatium sit liberum, ut sunt plateolæ coram Ecclesiis, secus si sint domus laicorum contigæ ipsis Ecclesiis. Tuschus Verb. Immunitas concl. 59. num. 18.

4. *Quer.* Quænam personæ confugientes ad loca sacra gaudeant Immunitate? *Resp.* Omnes, & quæcunque personas gaudere, dummodo non commiserint delicta excepta in Bulla Gregorii XIV. Idèò sive fidelis, si-
vè

48 Erot. Eccles. Cap. XXXII. De Sacril. ex violata &c.

vè infidelis ad Ecclesiam confugiat, non est inde extrahendus; & si de facto extrahatur, est ad eam restituendus, quia privilegium hoc non est concessum personis, sed loco sacro. Coton. in Summa Diana ubi supra num. 14. Joan. Anton. Novarius in Summa Bullar. Comment. 72. & Comment. 80.

5. *Quer.* An Clerici possint de mandato Episcopi capi, & detineri in loco sacro etiam in delictis non exceptis? *Resp.* Esse plurimos Doctores pro utraque opinione, quos cumulat Diana *Coordinatus* tom. 9. tract. 1. resol. 34. & 35. ubi ostendit, Sacram Congregationem Concilii tenere partem negativam, quia etiam ipsi Clerici, ne sint deterius conditionis, quam Laici, debent gaudere Immunitate. Porro opinionem contrariam posse praticari, ubi talis esset consuetudo, docet Joan. Anton. Novarius de Comment. 80. num. 3. prout esse videtur in hac Diocesi Patavina; in qua pluries ego scio, dum fungerer officio Promotoris Fiscalis in Episcopatu, Clericos esse captos in Ecclesia, & nullum eorum dixisse de nullitate capturæ ob immunitatem loci sacri. Nihilominus apud Doctores modernos prævalet opinio, quod Clerici non possint capi in loco sacro; quia sicut tenet S. Congreg. Cardinalium, tum Concilii, tum Immunitatis, & sic decisum fuisse in una Maceraten. Immunitatis die 25. Maji 1655. testatur Jac. Pignatell. tom. 1. consult. 176. num. 5. tom. 1.

6. *Quer.* An Clerici possint de mandato Episcopi capi in via, dum incedunt cum Cotta ad aliquod funus? *Resp.* Negative. Locatell. de Tortura inspect. 5. num. 164. Nicol. in Lucubrat. civilib. tom. 1. lib. 1. tit. 8. post §. fin. de Immunit. Eccles. num. 35. ubi ulterius advertit, neque Laicum posse capi per viam, quando est indutus sacco alicujus confraternitatis spiritualis.

7. *Quer.* An Regulares confugientes ad Ecclesiam, possint inde extrahi de mandato suorum Superiorum? *Resp.* Consuetudinem esse, quod extrahi possint ex propriis Ecclesiis, secus ex Ecclesiis non suis; aliàs nunquam possent Superiores Monasteriorum punire subditos suos. Coton. in d. Summa Diana Verb. Immunitas quo ad loca num. 16. ubi ait, quotidie deferri ad S. Congregationem appellationes Regularium captorum in Ecclesiis suis contra suos Superiores, sed eas parvipendi, & nihil curari. Cæterum in puncto Juris, non posse capi Regulares in Ecclesiis, tenet Diana *Coordin.* d. tom. 9. tract. 1. resol. 37. num. 2.

8. *Quer.* Quo jure sit inducta Immunitas Ecclesiarum? *Resp.* Super hoc quæsito non esse concordēs Doctores, nam alii volunt eam esse de Jure Divino, alii de Jure Canonico, ut videre est apud Dianam *Coordinatum* d. tom. 9. tract. 1. resol. 1. & Chartar. Decis. Crimin. decis. 46. num. 34. & Sperell. decis. 104. num. 11.

9. *Quer.* Quanam sint delicta excepta per Bullam Gregorianam, adeo ut ea committentes non gaudeant Immunitate Ecclesiarum? *Resp.* Ex Bulla Gregoriana non gaudere Immunitate Ecclesiarum Latrones publi-

cos, Grassatores viarum, aut Depopulatores agrorum, Homicidas proditorios; occidendes vel mutilantes in loco sacro, id est, vel in Ecclesia, vel in Cameterio, nec non reos assassinii, hæresis, aut læsæ Majestatis in personam Principis. Coton. in Summa Diana d. Verb. Immunitas Ecclesiar. num. 18. Novari. d. Comment. 72. & Comment. 80. Farinac. & Diana de Immunit. qui omnes declarant dictam Bullam Gregorii.

10. *Quer.* An dicta Bulla Gregoriana possit per contrariam consuetudinem derogari? *Resp.* Negative, quia consuetudo contraria Immunitati Ecclesiæ est corruptela, & abusus, quæ nunquam potest vim acquirere. Coton. in d. Sum. Verb. Immunitas Eccles. quo ad delicta d. num. 18. & Verb. consuetudo num. 2. & Chartar. decis. Crimin. 46. num. 45. & Sperell. decis. 37. num. 63.

11. *Quer.* An fieri possit, quod eadem Bulla Gregoriana non acceptetur, & non sit in Usu? *Resp.* Negative, quia in ea est Decretum irritans. Rota coram Merlino die 11. April. 1639. Coton. ubi ante num. 18.

12. *Quer.* An violatio dictæ Bullæ fiat per arrestationem Rei in loco sacro cum effectu secutam? *Resp.* Sufficere, si attentetur arrestatio. Farinac. de Immunit. cap. 20. num. 322. Coton. d. num. 18.

13. *Quer.* An Judex, qui mandat Reum occidi in loco sacro, à quo non potest eum extrahere, incidat in pœnas dictæ Bullæ? *Resp.* Affirmative. Squillant. de Oblig. Cler. p. 5. dub. 14. n. 90. Coton. ibid. ubi respondet objectis contrariis, & præcipue, quod Reicidium non sit prohibitum in Bulla, quæ tantum pœnalis non videtur extendenda ad casus non explicitos; quia imò dicta Constitutio est favorabilis, nam favet Ecclesiæ, & personis ad eam confugientibus. Et licet intersit Reipublicæ, quod delicta, & maxime atrociora non remaneant impunita; tamen eò magis interest, ut Deo reverentiam quisque præstet; & ejus domus, quæ Ecclesia est, Immunitate gaudeat, & tueatur eos, qui ad illam confugiant. Guttierrez lib. 3. quest. 3. num. 9.

14. *Quer.* Quanam poena sit inflicta contra violentam Ecclesiæ immunitatem? *Resp.* Poenam excommunicationis inflictam esse, quæ est læta sententiæ, & Summo Pontifici reservata. Coton. ubi ante num. 19.

15. *Quer.* Ad quem spectet judicare in dubio, an Reus gaudeat, nec ne Immunitate Ecclesiæ? *Resp.* Spectare ad Judicem Ecclesiasticum; qui non tenetur stare processui formato per Judicem Laicum, sed debet novas informationes recipere. Coton. ubi ante num. 20. & in Verb. Judex Ecclesiasticus d. num. 11. Et interim non permittet, reum in Ecclesia existentem, poni in compedibus; quod malè docet Fontanell. decis. 200. & 201. & multò minus ipsum à Judice Laico detineri in carceribus; quia Bulla inquit, ut detineatur in carceribus Episcopi, adhibita (si opus sit) custodia Judicis Laici. Coton. d. Verb. Immunitas Ecclesiæ quo ad delicta num. 20. pag. 454.

16. *Quer.* An in dubio possit Episcopus pronun-

Erotem. Eccles. Cap. XXXII. De Sacril. ex violata &c. 49

pronunciare pro Iudice Laico, & contra Reum? *Resp.* Negative, quia in dubio debet pro Favore Ecclesiæ, & sic pro Reo pronunciare. Coton. *ib.* & *Verb. opinio num. 11.* Sperell. *decis. 60. num. 13.*

17. *Quer.* Quam pœnam incurrat Episcopus, tradendo Reos Curiaæ seculari, in casu, in quo debent gaudere Immunitate Ecclesiæ? *Resp.* Eum peccare mortaliter, incurere excommunicationem Papalem, & esse obligatum ad damna ejusdem Rei; qui, si ad mortem damnetur, Episcopus remanet irregularis, ut advertit Novarius in *Comment. 72. num. 31.* & tenet Anton. de *Loco legal. lib. 1. cap. 3. num. 209.* Abb. Michael Justinian. in *addit. ad Novar. Comment. 72. & 80. pag. 10.*

18. *Quer.* An Iudex Laicus in casibus notorie exceptis possit extrahere Reum de Ecclesia absque Episcopi licentia? *Resp.* Negative, quia debet petere, & expectare licentiam Episcopi, ut mandat ipsa Bulla, & notat Coton. *ubi ante d. num. 20. in fine.*

19. *Quer.* An interdicti ab ingressu Ecclesiæ, excommunicati, occidentes Clericum, vel pugnantes in duello, desolantes Monasterium, etiam in Ecclesia, Raptores Virginum etiam ex Ecclesia; blasphemii (non hæreticales blasphemias proferentes) Simoniaci, adulteri, Sodomitæ, etiam in Ecclesia Sodomiam commisisissent, & Patricidæ gaudeant immunitate Ecclesiæ? *Resp.* Affirmative. Sperell. *decis. 22. num. 10.* Chartar. *decis. 46. num. 84.* Barbosa. de *Jure Ecclesiastico lib. 2. cap. 4. num. 95.* & Coton. *ubi ante num. 22. & ibi DD. & num. 25. ubi idem de Monasteriis sentit.*

20. *Quer.* Cum Hæresis Reus non gaudeat immunitate Ecclesiæ, an sola hæresis intelligatur? *Resp.* Intelligi omnem culpam, quæ sapiat hæresin, & quæ cadat sub Iudicio Inquisitorum. Farinac. in *Appendic. ad tract. de Immunit. cap. 13. num. 175.* Coton. *d. Verb. Immunitas Ecclesiar. num. 24.*

21. *Quer.* An Hæreticus capiendus pro aliquo alio delicto, si confugiat ad Ecclesiam, possit in ea capi? *Resp.* Negative, quia Bulla excipit hæreticum, dum agitur de delicto hæreseos. Coton. *ibid. num. 24.*

22. *Quer.* Cum Homicidium committentes in Ecclesia non gaudeant Immunitate, an gaudere debeant, qui mandant homicidium in Ecclesia committi? *Resp.* Gaudere debere, quia mandantes non sunt homicidæ. Coton. *ubi supra num. 26. & ibi DD.*

23. *Quer.* An gaudeat immunitate, qui existens in Ecclesia occidit hominem existentem extra Ecclesiam; & vice versa, qui existens extra Ecclesiam occidit hominem stantem in Ecclesia? *Resp.* In primo casu gaudere, in secundo non gaudere. Coton. & ibi in *DD. d. Verb. Immunitas Ecclesiar. num. 26.*

24. *Quer.* An occidens alium in Ecclesia ex calore iracundiæ, & in subita ira gaudeat Immunitate Ecclesiæ? *Resp.* Gaudere, quia homicidium exceptum est cum animo deliberato factum, & ita decisum fuisse Ro-

Doct. Clericis Tom. II, Lib. VII,

mae Anno 1639. docet Novar. & Farinac. relati à Cotonio *d. num. 26.* ubi subdit, gaudere eò magis, qui ad defensionem occidit, nisi fuerit provocator. Theaur. *Verb. Immunit. num. 2.*

25. *Quer.* Cum mutilantes in loco sacro non gaudeant immunitate loci, quomodo sit intelligenda hæc mutilatio? *Resp.* Quòd sit cum abscissione veri membri; ideo sola vulneratio, vel etiam sfrigia in faciem, licet facta in Ecclesia, non privat Immunitate. Barbosa. de *Jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 3. num. 13.* Coton. *d. num. 26. & 27.* ubi subdit gaudere, qui vulneraret aliquem consentientem in Ecclesia; vel occideret consentientem extra Ecclesiam, vel recipientem Oleum Sanctum, dummodo occidens non esset hæreticus.

26. *Quer.* An appellatione Ecclesiæ, in qua committitur homicidium, vel mutilatio, intelligatur omnis locus sacer, vel Religiosus, prout supra dictum est de recurso Rei? *Resp.* Negative, quia, cum agitur de delicto in Ecclesia commisso, debet strictè intelligi, & sic Ecclesia ipsa formaliter est intelligenda; quia pœnalis est lex in hoc puncto. Ubi verò loquitur de recurso, quia est punctum favorabile, extenditur ad scalas Ecclesiæ, Palatia Episcoporum, & alia loca supra recensita. Coton. *d. num. 27.*

27. *Quer.* Cum committentes Homicidium proditorium non gaudeant immunitate, qualiter intelligatur hoc delictum? *Resp.* Intelligi formaliter, & cum effectu, ita, ut mors sit secuta. Coton. *num. 28.*

28. *Quer.* Quale sit Homicidium proditorium? *Resp.* Esse illud, quod committitur cum simulata amicitia, & cum eo, qui non poterat præcavere. P. Coton. *d. num. 28.* ubi propterea exemplificat, & docet, gaudere immunitate eos, qui homicidium committunt ex animo deliberato, & ut vulgò dicitur, apostata mente in inimicum; vel explodentes sclopum à tergo, vel dantes venenum per insidias, etiam occidens esset filius inimicus contra Patrem, vel inimicus reconciliatus non reassumpta stricta amicitia; vel cohabitatione; nam amicus reconciliatus reputatur non amicus. Riccius *part. 1. decis. 168. num. 2.* Coton. *d. num. 28.* ubi DD. allegat, & eos discrepantes quando quis occideret infidelem homicidio proditorio, nam Bulla videtur intelligenda de occidentibus fidelem.

29. *Quer.* Cum sit exceptum Assassinium ab Immunitate, quomodo intelligatur hoc delictum? *Resp.* Assassinium dici in duobus casibus: primo, quando quis mercede recepta alterum occidit; secundo, quando ex motivo mercedis ducit alium in insidias ad occidendum. Coton. *DD. citatis num. 29.* ubi notat, opus esse, ut Assassinus actuale homicidium committat, & quòd mors sequatur; nam testis falsus corruptus mercede, dans causam mortis, non dicitur assassinus; prout neque mediator assassinii. Ulterius, si Assassinus tantum vulneret citra casum mortis, gaudebit Immunitate.

30. *Quer.* An mandans committi Assassinium, ex sequuto gaudeat Immunitate Ecclesiæ?

G

clesiæ? *Resp.* Non gaudere, si & ipse interveniat in homicidio, prout non gaudent auxiliares, proxenetae, depositarii pecuniarum, & alii, qui cooperantur ad Assassinium, scientes qualitatem assassini. *Novar. d. Commentar. 72. num. 61. ubi plurimi DD. & Coton. d. num. 29. Farinac. conf. 100. Bonac. tom. 1. d. 8. q. 8. §. 4. num. 18.*

31. *Quer.* An dicatur Assassinus, qui homicidium committit solummodo, ut complaceat alicui? *Resp.* Non dici. *Honded. conf. 93. num. 68. lib. 2. Coton. ubi ante d. num. 29. qui extendit negativam hanc etiam, ubi facta fuisset pro homicidio promissio mercedis in generali, vel quod procuraret ei sponsam, vel officium, aut similia, quæ nomine pecuniarum, seu mercedis strictè, & propriè non veniunt; & tandem, si parvam tantum pecuniam quis accepisset; quæ ad tale facinus mentem inclinare non posset. Vulpell. conf. 143. num. 9.*

31. *Quer.* Cum in Bulla excipiatur Crimen læsæ Majestatis in personam ipsius Principis, quanam personæ intelligantur nomine Principis? *Resp.* Intelligi illas personas, quæ Superiorem non recognoscunt, ut Reges; proinde etiam Cardinales; qui cum Summo Pontifice faciunt unum corpus. *Coton. ubi supra num. 30. ubi è contra docet, occidentes Episcopos, Duces, Marchiones, & alios habentes Superiorem non privari Ecclesiæ Immunitate; prout neque si occidant Consiliarios, Præsides, Proreges, ac etiam Uxorem ipsius Regis; ac tandem, si Principem offendant non in persona, sed tantum in Dignitate, Potestate, vel Introitibus; quia hi omnes gaudent immunitate. DD. apud Coton. d. num. 30.*

33. *Quer.* Cum sint excepti ab Immunitate in Bulla Latrones publici, & Grassatores Viarum, horum nomine quinam intelligantur? *Resp.* Eos intelligi, qui multoties latrocinia commiserunt in Viis publicis; & dummodo non tantum tentaverint, sed perfecerint latrocinia. *Coton. ibid. num. 31. Novar. d. Comment. 72. num. 45. & 46.*

34. *Quer.* An priventur Immunitate, qui secretò per litteras, aut nuncios obligant aliquos ex comminatione sibi pecunias tradere? *Resp.* Non privari. *Coton. ibi num. 31. in fine. Quamvis contrarium sentiat Novar. d. Comm. 72. num. 44. ubi etiam loquitur de Piratis, seu latronibus maritimis.*

35. *Quer.* Cum excipiantur in Bulla agrorum Depopulatores, quales sint hujusmodi personæ? *Resp.* Eos esse agrorum Depopulatores, qui segetes in agris deprædantur, comburunt, & destruunt, vel ad agros alienos diripiendos destructores nocturni accedunt. *Barbos. de Jure Ecclesiastico lib. 3. cap. 3. num. 86. & 87. ubi hanc esse differentiam, ait, inter depopulatores agrorum, & publicos latrones, quod hi palam, & publicè furantur, at illi clandestinè malè operantur, & clandestinè morantur in loco, ubi malè agunt. Porro sive nocturni, sive diurni sint hi depopulatores agrorum, nunquam gaudent Immunitate. Barbos. ibid. num. 87. Coton. ubi supra num. 32.*

36. *Quer.* Si quis aufugiat de manibus Satellitum, & Ecclesiam intret, an debeat gaudere immunitate? *Resp.* Affirmative, nisi esset in casibus exceptis, & hoc etiam si aufugeret per violentiam, & cum vulneratione satellitum. *DD. apud Coton. d. Verb. Immunitas Eccl. num. 33.*

37. *Quer.* Quid Juris, si Reus ab Ecclesia per ministros laicos extrahatur? *Resp.* Eisdem Ecclesiæ omnino restituendum, sive vi, sive dolo fuerit extractus. *Coton. d. num. 33. ubi DD.*

38. *Quer.* Si Reus, dum ducitur ad furcam, transeat per aliquam Ecclesiam, possit prætereire ibi immunitatem? *Resp.* Esse discordes Doctores, nam Megala affirmat, negat Bobadilla, quos refert Coton. d. Verb. Immunitas Eccl. num. 35. in fine.

39. *Quer.* An bannitus confugiens in Ecclesiam possit spoliari armis, vel fur rebus furtivis. *Resp.* Negative. *Ciarlin. cap. 10. num. 16. Coton. ibid. num. 36.*

40. *Quer.* Reus injustè extractus cui sit restituendus? *Resp.* Alios DD. sentire, quod sufficiat eum restituere alicui Ecclesiæ, vel Vicario Episcopi; at Barbosam d. lib. 2. cap. 3. num. 54. velle, ut restituatur eidem Ecclesiæ, à qua fuit extractus, & sic sentit etiam P. Coton. d. num. 39. in fine.

41. *Quer.* Quid faciendum est de debitoribus fraudulentis, qui in Ecclesiam confugiunt? *Resp.* Cum per aliquot dies ibi tolerati fuerint, esse licentiaandos, & ex ea ejiciendos. *Coton. ubi ante num. 42. Imò, si Rei in Ecclesia committerent delictum etiam non exceptum, possint ab Episcopo carcerari, & ab eodem puniri, ut si stuprum, vel furtum stantes in Ecclesia patrassent. Antonell. de Loco legali lib. 1. cap. 3. num. 182. Quod si essent insolentes, seu verbis injuriosis laderent ministros Ecclesiæ, possent expelli ab ea, ita, ut remaneant intra spatium 30. vel 40. passuum, qui valent adgaudendum immunitate. Pasqualig. Decis. moral. 470. num. 1. & seqq. Bordon. Var. Resp. lib. 1. cap. 1. num. 22.*

42. *Quer.* Quam pœnam incurrat Judex laicus, qui Reum extractum ab Ecclesia absque suo mandato, retinet in suis carceribus, & restituere detrectat? *Resp.* Eum incurere excommunicationem latam in Bulla Gregoriana. *Antonell. de Loco legali d. lib. 1. cap. 3. num. 197. & ibi Bonacin. & Ciarlin.*

43. *Quer.* Quam pœnam incurrant satellites, vel alia personæ privatae extrahentes Reum ab Ecclesia absque licentia Episcopi? Eas pariter incurere excommunicationem Papalem, prout ipsos Officiales. *Ciarlin. lib. 1. cap. 1. n. 8. Antonell. ubi supra n. 220.*

44. *Quer.* Quid agendum, Reo existente in Ecclesia, donec sint probationes, an debeat gaudere immunitate? *Resp.* Eum esse custodiendum ab utroque Judice, vel in carceribus Episcopi ducendum. *Gratian. Discept. for. cap. 596. num. 5. & 11. Antonell. d. cap. 3. num. 217.*

45. *Quer.* An excommunicatio lata in dicta Bulla Gregoriana contra extrahentes Re-

Erot. Eccles. Cap. XXXIII. De Sacril. in bonis &c. 51

Reos ab Ecclesia sit Papæ reservata? *Resp.* Affirmativè; ut tenet Farinac. de Immunit. Eccles. num. 315. Barbof. alleg. 50. num. 167. Quamvis contrarium sentiant Genuens. cap. 22. num. 3. Bonacin. & Diana, quos refutat Thesaur. de Pœnis par. 2. Verb. Immunitatem localem cap. 1. Vers. Hæc autem excommunicationis, ubi allegat Decretum S. Congregationis.

46. *Quer.* An ad incurrendam dictam excommunicationem requiratur indebita extractio Rei de Ecclesia actualiter, & cum effectu? *Resp.* Negativè, quia sufficit attentatio, etiam effectu non sequuto ad incurrendam excommunicationem Papalem. Thesaur. ubi supra Vers. Procedit autem.

47. *Quer.* Quot in summa sint casus excepti, in quibus Rei non gaudent Immunitate Ecclesiæ? *Resp.* Esse septem:

Primus est in publicis latronibus, & graffatoribus Viarum.

Secundus. In Depopulatoribus agrorum.

Tertius. In committentibus homicidia, vel mutilationes in Ecclesiis, seu Cemeteryis (voluntariè, non casualiter.)

Quartus. In iis, qui proditoriè proximum suum occiderunt.

Quintus. In Reis Assassiniis.

Sextus. In Reis hæresis.

Septimus. In Reis læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis. In istis casibus Rei non gaudent Immunitate Ecclesiæ, sed possunt ex ea extrahi de licentia Episcopi, alias incurritur excommunicatio Papæ reservata. Thesaur. de Pœnis d. part. 2. Verb. Immunitatem localem. cap. 1. Vers. Limita hanc excommunicationem pag. 182.

48. *Quer.* An Episcopi permittentes Reum extrahi de Ecclesia in casibus non exceptis, sed cum cautione, & protestatione impunitatis circa corpus Rei, si morti Reus tradatur, incurrant excommunicationem, & irregularitatem? *Resp.* Affirmativè, ut probat Thesaur. d. cap. 1. num. 2. quia protestatio est contraria factio, & peccant contra Justitiam, violando Jus Ecclesiæ, & immunitatem. Abbas Michael. Justin. in Additionibus ad Novar. Comment. 72. Porro alii Clerici non defendentes reum à ministris Curie secularis, non incurrerent irregularitatem, quia contra charitatem tantum peccarent, & non tenerent ex officio reum tueri, sicut Episcopus. Thesaur. ibid. ubi observat, quod in defendendo reum debent Clerici abstinere ab effusione sanguinis, nam tunc evaderent irregulares.

49. *Quer.* An extrahentes reum de Ecclesia contra formam Bullæ Gregorianæ, præter peccatum, & excommunicationem, incurrant aliam pœnam? *Resp.* Incurrere infamiam Juris, & irregularitatem, quando fuerit damnatus de hoc crimine violatæ Immunitatis, quia est crimen publicum. Thesaur. d. cap. 1. in fine.

50. *Quer.* An Episcopi possint absolvere ab excommunicatione Judices, & Officiales, qui contra formam Bullæ Gregorianæ extraxerunt reos de Ecclesia saltem ad rein-

cidentiam? *Resp.* Negativè, quia est omnino Papæ reservata. Abbas Mich. Justinian. in Additionibus ad Novarium in fine operis ad Comment. 72. pag. 10. & 11. ubi notat, quod neque Metropolitanus potest absolvere, neque Cardinales Legati, neque Confessarius tempore Jubilæi, intelligendo tamen in foro exteriori, quatenus Judices vel Officiales fuissent ab Episcopo denunciati excommunicati. Imò præsumentes absolvere ab excommunicatione prædicta, incurrerent in censuras reservatas Papæ, ut declaravit S. Congregatio Immunitatis anno 1632. & 1661. teste dicto Abb. Justiniano in Addit. ad Novarium d. pag. 11 in fine operis. Qui plures alios casus scire desiderat circa hanc Immunitatem loci Sacri, legat Novarium in Summa Bullar. part. 1. Commentar. 72. & part. 2. Comment. 80.

CAPUT XXXIII.

De Sacrilegio in bonis Clericorum,

1. *Quer.* Quomodo committatur Sacrilegium contra bona, seu in bonis Clericorum? *Resp.* Committi per impositionem tributorum, vectigalium, seu gravedinum ab Ecclesiasticis solvendorum. Thesaur. de Pœnis part. 2. Verb. Immunitas. cap. 4.

2. *Quer.* Quæ sint Jura prohibentia trita, & Vectigalia super bonis Clericorum? *Resp.* Esse diversa Jura; quæ recenset Thesaur. d. cap. 4. Videlicet cap. Non minus. de Immunit. Eccles. cap. Adversus. eod. cap. Clericis. de Immunit. Eccles. in 6. cap. Quamquam de Censib. & Clem. Prasenti de Censib. In quibus omnibus Juribus prohibitum est imponere tributa, seu vectigalia solvenda ab Ecclesiasticis respectu bonorum seu Ecclesiasticorum, seu Patrimonialium, sub Pœnis Censurarum; quæ prohibitiones renovatæ sunt in Concilio Tridentino sess. 25. de refor. cap. 20. & singulis annis innovantur pœnæ, & Censuræ prædictæ in Bulla Cœnæ Domini cap. 18.

3. *Quer.* Quid contineat dictum c. 18. Bullæ in Cœna Domini? *Resp.* In dicto cap. 18. fulminari excommunicationem Papæ reservatam contra imponentes collectas, vel alia onera personis, aut bonis Ecclesiasticis; & ea exigentes, etiam à sponte dantibus sine expressa Papæ licentia. Thesaur. d. part. 2. Verb. Immunitatem cap. 4. num. 4. ubi DD. allegat, docentes, procedere, etiam si collectæ imponantur bonis Patrimonialibus Clericorum, quamvis minores ordines tantum habentium.

4. *Quer.* An aliquando liceat ab Ecclesiasticis exigere collectas? *Resp.* Licere in casu maximæ necessitatis, sed concurrentibus illis sex conditionibus, quas supra recensuimus. De Sacrileg. in personas Sacras cap. 27. quest. 35. pag. 54. quas docet Fagnan. in c. Non minus d. num. 22. de Immunit. Eccl. tom. 5. pag. 368. & Antonell. de Regim. Eccl. lib. 4. cap. 5. num. 24.

5. *Quer.* Quanam pœnæ sint constitutæ contra Usurpantes bona, vel proventus Ec-